immortalem precor, ut Eccleſiam ac in illa Te, & fratrẽ tuum, D. DIONYSIUM, & totam illuſtrem ac verè heroicam familiam Zerotinam ſervet, & forti ſuâ dextrâ tueatur adverſus arma Turcica & Tartarica, atque omnia incommoda, præſertim hoc periculoſiſſimo tempore, quo omnia ruinam minari videntur. Sed quid? videntur tantùm? Imò præſentiſſimum exitium minantur, nî magnus noſter navarcha naviculam ſuam in procelloſo hoc mari, & nos in ea, ſervet. Vale feliciter, Illuſtris & Inclyte Baro, ac divino præſidio tutus quàm diutiſſimè vive. Perſcriptum Herbornæ Naſſoviorum, ubi eſt Illuſtris Illuſtrium & Generoſiſſimorum Comitum Naſſovicorum, Evergetarum meorum clementiſſimorum, Schola. Kal. JulI. anno extremæ Dei patientiæ 1610.

T. G.

addictiſſimus ſervus

Joan. Henricus Alſtedius.